PS.-ALBERTUS MAGNUS. CATALOGUS SCRIPTORUM ORDINIS PRAEDICATORUM

Stams, 1304 Seite 1r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31236
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Incipit Summa dñi Alberti super missam et de Sacramento altaris.

Ecce ego declinabo in uos sicut flumen pacem et quasi torrentem inundantem gloriam gentium quam sugetis. Ysaie. lxvi. In hoc uerbo duo promittit dominus. in quibus habundanciam sue bonitatis ostendit. quorum primum est perceptio sue bonitatis. secundum perfectionem gratie. Secundum autem est gustus sue dulcedinis secundum pregustationem glorie. In primo quinque notantur. Scilicet sue perceptionis euidens certitudo. Secundum autem percepti immensa et cui nichil addi potest perfectio. Tercium autem immense sue perfectionis ad nostram capacitatem condescensio. Quartum uero est affluentissima sue bonitatis in nos influxio. Quintum autem est omnis nostri desiderij in influxu illo quietatio. Primum horum notatur in aduerbio demonstrationis cum dicit. ecce. ac si dicat. in euidenti est. et omni certo certius ad oculum demonstratum. Ysaia. lv. Oculo ad oculum uidebunt cum conuerterit dominus syon. Genesis. xlv. En oculi uestri et oculi fratris mei beniamin uident quod os meum loquitur ad uos. Psalmus. Ante conspectum gentium reuelauit iusticiam suam. oculis enim cordis in lumine manifestauit consolationem patriarchis et prophetis. ut uiderent in claro lumine. et beniamin hoc est filius dextere dei testem habent qui est candor lucis eterne. in quo omnia hec ab eterno predestinauit. Unde etiam eos qui hanc certitudinem sue consolationis uidere meruerunt beatos habere oculos dicit. Luce. x. Beati oculi qui uident que uos uidetis. dico enim uobis quod multi reges et prophete uoluerunt uidere que uos uidetis et non uiderunt. et audire que auditis et non audierunt. Uidit tamen ista in spiritu senex. et iam corpore non spiritu cecutiens symeon. Luce. ij. Uiderunt oculi mei salutare tuum. In aduerbio ergo demonstrationis notatur sue participationis certitudo fidelibus oculis demonstrata. In hoc autem quod dicit. Ego. quod significantiam et discretionem notat. notatur illius participationis immensa et cui nichil addi potest perfectio. ac si dicat. de cetero non minus aliquid quam bonum. quod ego ipse sum. influam uobis. quod et est omne bonum. etenim est omnis boni bonum. Unde dixit moysi. Exo. xxxiiij. Ego ostendam tibi omne bonum. Ysa. lij. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa. quia ego ipse qui loquebar ecce assum. ac si dicat. Iam de cetero non loquar multifariam sicut locutus sum patribus in prophetis. quia forte imperfecta sunt que homo dicere potest. sed potius ego ipse adero in uobis. propter quod unus eorum in se ipso senciens xpm dixit. Audiam quid loquatur in me dominus deus. et alter. ij. Cor. xiij. An experimentum queritis eius qui in me loquitur xpc. et ysa. vlt. Ego ipse consolabor uos. et in ierusalem consolabimini. et uidebitis et gaudebit cor uestrum. In hoc ergo quod dicit ego. signantur et discrete immensam sue bonitatis perfectam copiam nobis influendam promittit. Tercium autem est immense sue perfectionis ad nostram capacitatem commensuratio. et hoc notatur in hoc quod dicit. declinabo in uos. ac si dicat. Altitudinem mee deitatis quam celi celorum capere non possunt in nullo deponens. assumens inferiorem naturam. qua ad uos declinabo ut mei possitis esse participes. sic petit. Psalmus. Domine inclina celos tuos et descendit. et ysa. lxiij. Utinam dirumperes celos et descenderes. sic enim nobis condescenderes. et nos tui faceres esse participes. sic enim sui dedit unicuique seruorum suorum fidelium et prudentium secundum propriam uirtutem. Math. xxij. Dedit unicuique secundum propriam uirtutem. sic declinauit ad nos misericors et miserator dominus complens illud quod dixit. ysa. x. Uerbum abreuiatum faciet dominus super terram. que confirmatio abreuiata nobis inundauit gratiam et iusticiam. qua nos iustificauit et gratificauit xpc dominus deus noster. et plus quam breuis factus est in sacramento. in quo totus in paruo percipitur. ad iusticie et gratie complementum. sic ergo in nos declinans coaptat et commensurat se dominus immensus in se ipso. Quartum uero est affluentissima sue bonitatis in nos influxio. et hoc notatur per hoc quod dicit

Ecce

Ego

Declinabo in uos